



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Nona. De desiderio videndi & osculandi Iesum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

venerande pater Ioseph, (qui ita appellaris pro dignitate ministerij tui, & occultatione sacri secreti) quatenus me digneris in adiutorium admittere, iube aliquid afferri pro solatio matris & pueri, ego ero paratus ad obsequia huiusmodi.

9. O si sciuissem quando huc primum venistis, iuissem utique vobiscum, & bouem vel asinum duxissem. Mantellum Dominae meae, vel sacculum Ioseph, per tantum viae spatium liberet portassem, aut etiam hospitium procurassem. O utinam tam propè fuisset, ut sanctos Angelos cantare audiuisset, & hoc gaudium magnum mihi nuntiatum fuisset. Eia, quàm lætanter & festinanter vsque Bethleem transissem, & ipsos pastores si potuissem, citius præcurrissem; ut sic Dominum meum natum primus videre meruissem: & si illi reuerterentur ad gregem suum, ego tamen permansissem apud Deum puerum. Maluissem omnes oves relinquere, quàm Iesum meum deserere; aut etiam totum gregem vendere, ut inde Dominum meum cum sua familia pascerem. Sed non est omnibus datum videre Verbum Dei incarnatum, & tam innocenter in præsepio collocatum. Omnibus tamen pro nunc est prædicatum, & toti mundo propalatum: ita ut si quis credere voluerit, & saluari petierit; atque integro & puro corde ad hunc puerum accesserit, omnium peccatorum suorum remissionem ab eo accipiet, & vitam æternam post hanc mortalitatem (ipso donante) possidebit. Amen.

N O N A.

De desiderio videndi & osculandi Iesum.

Cant. 2.

I. **O**stende mihi faciem tuam: *Sonet vox tua in auribus meis: ut enim tua dulcis, & facies tua decora.* Hæc sunt verba amantis animæ ad te, dulcissime Iesu Christe. Sed obsecro te puer bone, ut mihi peccatori cõcedas, etiã hæc verba in desiderio animæ dicere. Quando enim potero satiari, de te cogitare & loqui? Tu enim salutare vultus mei, & Deus meus. Ostende ergo mihi faciem tuam, & salva erit anima mea. Quotiescunque tristis fuero, aspice in me, & consolabitur anima mea. Tu enim spes mea, à iuventute mea, & vsque in senectam & senium, ne derelinquas me. O quàm amabilis & suavis factus es hominibus, pro quibus dignatus es puer paruulus fieri. Nam tali amore me trahis ad te, & constringis vehementer in tua dilectione.

2. O dulcissime & amantissime puer Iesu, dignare mecum hodie parumper solatari. Anima mea diligit te, quia tu prius dilexisti me. Propter nimiam enim charitatem tuam, & incomparabilem dulcedinem quam ad me gessisti de illa occulta habitatione cælesti, ad visitandum & consolandum me, in carcerem

huius

huius mundi descendisti. Et nunc bene fecisti veniendo, & multum sapienter & dulciter egisti, tali modo apparendo. Formam pulcherrimi pueri assumpisti, naturam humanam induendo, qui in diuinitate purus & simplex, sine omni figura permanens, omnem intellectum excedis. Sed ego rudis, talem substantiam, omnem formam excedentem, capere non valui: ideo condescendendo mihi, naturam meam tibi vniisti, notam proponens hominis formam: vt sic propinquitate naturæ maiorem affectum ostenderes, & per visibilem aspectum hominis, ad inuisibilem deitatis substantiam manu duceres.

3. O dulcissima incarnata Dei sapientia, quam dulciter & sapienter me allicis tua amabili infantia! Conuerte nunc faciem tuam ad me Iesu bone, & noli me reprobare à pueris tuis, sed iucundum præbe mihi aspectum: vt te viso lætetur cor meum, & nouum sentiat exinde gaudium. O felix hora, quando pietatis tuæ oculis me intueris, & gratiam desideratam mihi ostendis. Hoc enim signum clementiæ est, hoc mihi fiduciam præbet & solamen. Hoc etiam inuitat accedere ad osculandum pedes, manus, & os tuum benedictum. O sacri & omni amplexu dignissimi pedes, Domini mei Iesu Christi parui & teneri, intra præsepis angustias arctati, qui pro me adhuc ambulabitis, & sepe fatigati eritis! Heu frigus non modicum sustinetis, quia sufficiens tegumentum ad induendum, & ignem ad calefaciendum forsitan non habetis. Isti sunt tenelli & dilecti pedes Domini mei saluatoris, adhuc in cruce acutis clauis perforandi. Et tunc vehementer cruentabitis, qui modo validum gelu patienter sustinetis. Isti sunt pedes, ad Euangelizandam pacem rectissimi, ad calcandum iter asperum preparati, ad ostendendam viam perpetuæ salutis mundo destinati. Isti sunt pedes misericordiæ & iustitiæ, ante quos procident Æthiopes, fugient demones, & adorabunt Reges & Principes. Tunc accedent peccatores poenitentiam agentes, & deuotè eos deosculantes, veniam consequentur & gratiam.

Pedes pueri Iesu.

4. O amande puer, non tantum pedes, sed & manus & caput ac cætera membra præbe mihi ad osculandum, benedicendum, & laudandum. O pulcherrimæ & mundissimæ manus verè tornatiles, nihil superfluum vel diminutum habentes. Iste sunt manus tuæ Domine, quæ me fecerunt & plasmauerunt, & nunc ad reparandum me venerunt. Iste me iuuabunt operari fideliter, & confortabunt contra varias tentationes viriliter. Iste sustentabunt me in bono, ne corruam: & erigent à malo, ne desperem. Iste benedicent paruulis, & donabunt sanitatem multis infirmis. Iste contra diabolum pugnabunt, & omnem virtutem eius ad nihilum deducunt. Iste post multos annos cruci affigentur, & tunc

Manus pueri Iesu.

O z latos

latos sanguinis riuos emittent. Ista in cruce extensa pro me supplicabunt, & peccatorum mihi indulgentiam vulnerata impetrabunt. Ista portas paradisi aperient, valuas inferni destruēt, & vincos eius inde liberabunt. Ista in iudicio cum suis cicatricibus hominibus apparebunt: & quanta Deus pro salute eorum operatus sit & passus, patenter demonstrabunt. Sit hæc læna sub capite meo, & dextra ista amplectatur me. O si tantum bonum meruero, quàm felix & lætus ero.

Cant. 2.

Os pueri
Iesu.

5. Ex hoc iam fiducialius ad oris osculum audebo accedere, & labia mea sanctis labijs tuis ausu charitatis imprimere. Et si terret altitudo diuinitatis, prouocat tamen maximè similitudo humanitatis, & mira suauitas infantilis paruitatis. O sacrum & illibatatum os Domini mei, plenum sapientia & gratia. Tu me doceris vias vitæ. Tu me replebis iubilo. Tu me consolaturus es sermone bono. Si enim gratus est nonnunquam hominis docti sermo, quanto magis sapiet verbum gratiæ ex ore tuo? O mellifluum os Domini mei: quàm pulchra sunt labia tua, quàm candidi dentes tui, quàm suauiter stillabit eloquium tuum. Hoc ergo os Domini loquetur iudicium & iustitiam; percutiet labijs suis impium, & conteret scelestos de terra. Aperiet abscondita Scripturarum, & arcana caelestia referabit. Manifestabit consilia cordium, & hominum sapientiam destruet atque consilium. Tacebunt ad te insulae, & mirabuntur reges & principes terra. Conuertentur nobiles & ignobiles, & literati ori suo silentium imponent. Quia loquente Deo, obmutescet terra & orbis, & omnis virtus caelorum, oris tui obediet imperio.

Quis dignus sit osculo pueri Iesu.

Cant. 1.

6. O preciosum & aureum os sancti sanctorum! Quis dignus erit vel semel te osculari, aut tui capitis verticem tangere? Nimirum anima pura & sancta, quæ ait: *Osculetur me osculo oris sui.* Quæ diligit, osculum petit: quæ autem timet, veretur accedere. Nil sic reconciliat, nil sic Deum placat, sicut purus amor Dei & contemptus sui. Obsecro te puer bone, Iesu dulcissime, puer parue & magne; fac misericordiam hanc cum seruo tuo, vt patiaris te humili dignatione tangi, amplecti, & osculari amoris osculis, quamdiu paruulus es, & in praesepe iaces. Nam sic dulcius amaris, charius teneris, leuius portaris, & minus formidaris. Sed vitæ factus, non sic agere licet, sed ad maturiora transire oportebit. *Omnia tempus habent.* Nunc tempus est amplexandi, postea erit tempus plangendi, quando pro osculo oris, dabitur tibi poculum amaræ confectionis. Nunc melius sapit gaudium natiuitatis, sed postea sentietur maior dolor compassionis; quando extenderis nudus in cruce, qui modò fascia cinctus poneris in praesepe.

Ecli. 3.

7. Da mihi puer amantissime charitatis tuę osculum, & recipere humilitatis meę obsequium. Intuere meum desiderium, & præbe sacrum oris tui osculum: & sit mihi hoc pacis signum, ac mutua dilectionis indissolubile vinculum. Scio & credo, quia tactus tuus sanat, amplexus vnit, osculum amorem imprimit. Quem tangis intrus, ab affectu carnali sanas: quem amplecteris, tibi coniungis: quem tuo amore feruere facis, dulciter oscularis. Nunc dicit mihi, quid tibi videtur; & fac me experiri, quod dicitur. Accipe (inquit puer iste) osculū, & intellige mysteriū: quia Puer Iesus nemo scit, nisi qui accipit: nemo accipit, nisi qui in spiritu ambulat. Apo. 2. loquitur.

Tunc osculor te, quando donū amoris mei tibi infundo. Tunc te amplector, cum omnes affectiones cordis tui ad me traho: ita vt nil in creaturis sit, quod te abstrahere aut allicere possit. Sed tūc tu me oscularis, cum sincero amore compungeris, & de nulla creatura solatiū requiris. Oscularis pedes meos, si humilitatis meę vestigia, ex amore magis quā ex timore sequeris. Oscularis manus meas, si cuncta bona opera facta aut facienda, non tibi sed mihi totum ascribis. Et tūc me amplecteris, quando intimo cordis affectu, te mihi vnitum sentis; & tam ardentem astringis, vt totus meus esse velis, & nihil tibi de priuato amore reseruas. Tunc poteris cum sponsa in Canticis dicere. Cant. 2. *lectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Si te sponte relinqueres, & omnia terrena vilipēderes; ego te in meum familiarem reciperem, & in virtutibus diuitem facerem. Qui enim mihi deuotus fuerit & totus deditus, ego ero illi rursus totus ex toto apertus. Quia ideo sum Deus homo incarnatus, vt homo in me esset perpetuō beatus. Dedi me totum homini, vt homo totus esset deditus mihi. Nam *delicia mea esse cum filiis hominum*, quibus Prou. 2. veni dare etiam regnum cælorum; & per contemptum mundi, perducere ad æternum consortium Angelorum.

D E C I M A.

Ad beatam Virginem, vt ostendat nobis Iesum filium suum.

Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Exulta hodie Luca 3. sancta Maria, nouæ salutis pariens gaudia. Exulta mater intacta, quia tibi persueerat virginitatis florida gloria. Exulta virgo puerpera, quia à maledicto & opprobrio mulierū es libera. Merito exultare potes in Iesu salutari tuo; quia quem cæli non capiunt, tu foues in gremio, & sanctis manibus tuis ipsū collocas in præsepio. Merito adoras ex te in tempore natum, quem super te scis habere Deum Patrem. Merito illi exhibes matris officiū, qui tibi inuiolabilis generationis dedit effectum. Merito in illo